

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Christophori Cellarii Compendium Antiquitatum
Romanorum**

Cellarius, Christoph

Halae Magdeburgicae, 1774

VD18 10161015

Sect. II. De Ivre Qviritivm, Latii Et Italico.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17085

cuius ciuitatem transcripti erant. Prior in legibus etiam *origo* vocatur & *originalis patria*: vide leg. XXII. digest. ad municipalem, cetera.

§. V.

Ad ea igitur, quæ in legibus dicuntur, recte intelligenda, distingui debent ius ciuitatis romanæ, ius Quiritium, ius Latii, vel Latinorum, & ius italicum, etiam ius municipiorum, coloniarum & præfecturarum. Ius *ciuitatis* iam exposuimus. Sequitur, vt de reliquis etiam agamus, si prius de proletariis & capite censis pauca adiecerimus.

C A P. III.

DE STATV PROLETARIORVM
ET CAPITE CENSORVM.

§. I.

SÆPE fit mentio *proletariorum* & *capite censorum* apud scriptores. Illi erant tenuissimæ pauperrimique in plebe romana; hi vero, qui vel nullo, aut perquam paruo ære censebantur.

§. II.

Vtrique autem fuerunt ciues, iura ciuitatis, vt sunt connubii, testamenti, patriæ potestatis, cetera habentes; sed sine suffragio & sine spe honorum adipiscendorum: vid. GELLIVM lib. XVI. cap. 10.

SECT. II.

DE IVRE QVIRITIVM, LATII
ET ITALICO.

C A P. I.

DE DIFFERENTIA IVRIS QVIRI-
TIVM ET LATII.

C O N T R O V E R S I A est inter eruditos de iure *Qui-
riti*
Cellar. Antiquit. V *riti*

ritium & Latii. Nimirum ius Quiritium quibusdam est ipsum ius Latii : aliis idem, quod ius ciuitatis. Sed præferenda illorum sententia, qui ab utroque distinguunt : ut maius, quam ius Latii ; minus, quam ius ciuitatis. g) Vide *PLINIVM lib. X. ep. 4. num. 2. cum nota nostra, ep. 6. num. 2. ep. 22. num. 1. ep. 105. & SVETONIVM in Claudio cap. XIX.*

CAP. II.

DE IURE LATII.

§. I.

Ius Latii medium erat inter ius ciuitatis romanae & italicum. Nam qui illud consequutus erat, ciuis romanus poterat fieri, si magistratum gessisset domi, aut relicta domi stirpe Romam concessisset ad habitandum, ut de aliis priuilegiis nunc taceamus. Vide *Appianum Alexandrum de bello civili lib. II. p. 443. STRABONEM lib. IV. p. 186. LIVIVM lib. XLI. cap. 8. & adde ONVPHRIUM PANVINVM imperatorum romanorum cap. IX. §. II.*

g) *Ius Quiritium* ad ea, quæ iuris priuati sunt ; ciuitas vero Romana ad illa, quæ iuris publici sunt, pertinet ; ut recte ex *SPANHEMIO & SIGONIO* obseruat *IOH. GOTTL. HEINECCIUS synt. ant. Rom. iurisprud. illustrant. p. 280.* Idem existimant *IAC. GVTHERIVS de offic. dom. Aug. lib. I. cap. 37.* alique plures, atque in his etiam auctor noster cum hoc loco, tum dissertat. de *Paulli Rom. ciuit. §. X.* quamuis adnotat. ad *Plinium lib. X. ep. 4.* aliam prodat sententiam, & scribat : *ius Quiritium est ius Romanae ciuitatis.* Priuatum ius ciuis Romani in censu, militia, tributis, vectigalibus, suffragiis, honoribus ac sacris erat positum ; publicum autem ad libertatem, connubia, patriam potestatem, legitimum dominium, testamentum & usucapionem spectabat ; qua de re adeas *SAM. PITISCVM not. ad Suetonium*

§. II.

Manfit ius Latii etiam postea, quum Latini civitatem romanam accepissent omnes. Sed tum apud exteros fuit, & coloniis pluribus datum a cæsaribus, de quibus *pandectarum toto titulo XV. de censibus* agitur. h)

V 2

CAP.

p. 669. PAVLLVM MANVTIVM *de ciuit. Rom. tom. I. thes. ant. Rom. GRÆVII p. 9. ONVPHR. PANVINIVM de imper. Rom. cap. IX. aliosque.*

h) Latini, quum per longum tempus cum Romanis bella gessissent, pacis demum conditiones acceperunt, per quas ipsis a Romanis permiffum erat, vt agros suos & leges haberent, cui priuilegio nouum deinde fœdus accessit, anno urbis conditæ CCCLX. factum, atque in hoc sancitum fuit, vt *inter Romanos latinasque ciuitates omnes pax æterna esset; neque ipsæ inter se bellarent; neque aliunde hostes inducerent; neque hostibus tutos transitus præberent; sed bello oppressis opem pro virili ferrent: spoliarum ac prædæ partem æqualem haberent: priuatarum litium iudicia illi, quibus mandata cognitio fuerit, intra decem dies peragerent: hisque legibus nihil addi demique posset, nisi si Romanis Latinisque ita placuisset; quemadmodum DIONYSIVS Halicarnasseus lib. VI. p. 115. refert. His concessis iuribus non solum antiqui, sed etiam noui Latii populi contenti fuerunt, donec bello Marsico per legem Iuliam & Plotiam omnes focii ac Latini nominis, item Italici, ciuitatem acceperunt. Ad ipsa iura Latinorum quod attinet, ii libertate iuris gentium, non autem iuris Quiritium fruebantur. Non liberi erant a verberibus, teste APPIANO *de bell. ciuil. lib. II. p. 443.* nec connubia cum Romanis promiscue inire poterant, & ipsum sponsaliorum ius Latinum a Romano diuersum fuit, vt ex GELLIO *discimus lib. IV. noct. Attic. cap. 4.* Num ius patriæ potestatis ac mancipationis habuerint, est res dubia; illud vero certum est, quod testamenta haud fecerint. Vtebantur suis legibus; permiffum tamen & ipsis erat, vt*

Ro-

CAP. III.

DE IVRE ITALICO.

Ius *italicum* erat quodam modo minus ac deterius, quam ius Latii; maius tamen & commodius iure prouinciarum, quemadmodum CAROLVS SIGONIVS *de antiquo iure Italiae lib. I. cap. 21.* demonstrat. Acceperant illud a Romanis victoribus

Romana instituta reciperent, sua vero abrogarent; siue, quemadmodum veteres dicere solebant, poterant *populi fundi* fieri; de qua re NICOLAI RIGALTI, ISMAEL. BVLLIARDI & HENR. VALESII observationes, quæ *rom. II. thes. ant. Rom. Græuii p. 1925.* exhibentur, videndæ sunt. Hac tamen receptione nec Quiritium, nec ciuitatis ius populi hi adipiscebantur. Sic & Latini Romæ nunquam censebantur, nisi furtim irreperent, id quod nonnunquam factum esse legimus. Iure militiæ quidem fruebantur; sed id quoque a Romanorum ciuium iure fuit diuersum. Arma enim pro defensione sua, iniussu populi, sumere non poterunt; nec vt legionarii, sed solum vt focii, militarunt, id quod iam supra obseruauimus. A tributis ac vectigalibus ceterorum populorum Romani Latinos quidem immunes præstabant; ipsi tamen certa tributa ac vectigalia Romanis pendere debebant, quæ tolerabiliora, quam Itolorum & prouincialium, fuerunt. Ius suffragii habebant, vt ex LIVIO *lib. XXV. cap. 3.* patet, ideoque & ad ferenda suffragia euocabantur; atamen ex vrbe secedere debebant, quoties consulibus libuit. Magistratus Romæ non gerebant, teste LIVIO *lib. VIII. cap. 4. & lib. XXIII. cap. 22.* Ad ius sacrorum quod spectat, Romanis propria erant sacra; præter nonnulla, quæ Latini cum Romanis communia habuerunt, eaque simul cum ipsis Romæ celebrarunt, cuius generis præcipue Dianæ sacra & feriæ Latinæ fuerunt, de quibus iam antea quædam monui: conf. LIVIVS *lib. I. cap. 15. & DIONYSIVS Halicarnassæus lib. I. p. 250.*

bus ciuitates Italiae, extra Latium & Galliam cisalpinam (quæ in prouinciis censebatur) sitæ, ante bellum sociale, siue italicum: post quod tempus rarior illius mentio est. i)

SECT. III.

DE IVRE MVNICIPIORVM,
COLONIARVM ET PRÆ-
FECTVRARVM.

CAP. I.

DE IVRE MVNICIPIORVM.

§. I.

ROMA caput Italiae κατ' ἐξοχὴν & per Synecdochen *vrbs* vocabatur, suppresso sæpissime proprio illius nomine. Nec facile de alio Italiae oppido vocabulum vrbis adhibent. Præter Romam quæ erant in Italia oppida, triplicis generis fuerunt: municipia, coloniæ, præfecturæ. Differentiam inter municipium k) & coloniam

V 3

do-

i) In multis partibus, vbi iura ipsa spectamus, conueniunt Latini cum Italis; in eo autem ab illis erant diversi, quod nec suffragiorum, nec sacrorum iure vti sint Itali, prout Latini quoque præterea non priuilegium habuerint, ciuitatem, gesto in patria magistratu, adipiscendi, quomodo apud Latinos fieri solebat. Plura de hoc argumento suppeditabit cel. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS *diff. de iure Italico*, Altorfii MDCCXLI.

k) Iura municipalia ab initio eæ solum ciuitates, quæ in-

tra